



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm LIV. Ad pag. Cl.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

conscriptis. Hac de re item consulas Guilielmum Malmesburensem
de Gestis Regum in lib. 2 cap. 10. Floruit ante quingentos Athelardus
ille abhinc annos, (Henrico primo in Anglia regnante) & primus
Euclidis Elementa Geometrica Latinè vertit, sed ex Arabico (quo-
rum exemplar MS. penes me habeo) uti & alia Mathematica. Nam
seculis in illis, ut & diu post, non ex Græco fonte, sed ex Arabicis
versionibus Latinè, sed barbarè nimis redditis, Platonis ac Aristote-
li pleraque, Ptolemæum item, Hippocratem, Galenum, Euclidem,
id genus alios habebant Academicici Occidentales. Et Avicennas
tandem Averroes Alfarabios versos. Nec verò Themistios Philopo-
nos Alexandros Simplicios omnino legebant; quos nec habuere, uti
nec alios fermè autores Græcos, antequam, post captam à Muhame-
de secundo Constantinopolim anno Christi 1453 Græci aliquot sci-
entiores eorum exemplaria, in Italiam Galliam ac Germaniam pro-
fugi, secum asportabant. Latine autem verbi erant libri illi Ara-
bici, in Academicorum gratiam, sub Lothario Saxone & Frederico
Enobarbo circa annum 1140. Quo tempore Alcoranus in Hispania
primò item Latinè redditus est; à Robertonempe Retenensi Anglo
& Hermanno Dalmata, qua de re vides Petrum Cluniacensem in
Bibliotheca Cluniac. pag. 1010. & Balaicum Cent. 2 Script. 80.

SVPPLEMENTVM LIII.

Ad pag. xcviij.

QVÆ de numero Professorum Bononiensium refert
Dissertatio, illa acceperam à Fortunio Liceto summino-
minis tunc temporis Philosopho in Academia Patavina: qui
cum frequens & amicum mihi erat literarum commercium.
Quod gratitudinis ergo hic memoro, erga virum de Philo-
sophia aliisque studiis nonnullis præclare meritum.

SVPPLEMENTVM LIV.

Ad pag. c. i.

GAriopontum seculo jam undecimo vixisse, præter alia
quam

quammulta docuit vir variâ doctrinâ eximius, Thomas Reinesius in *Defensione suâ Variarum Lectionum* pag. 143 & 155, ingenuo emendans nonnulla quæ scripsérat l. 3 *Variarum Lectionum* cap. 2 & 12. Ibidem præclara haud pauca adfert de ipsamet Schola Salernitana, quæ proinde merentur attentam lectionem; et si schola illa omnis pridem interierit, idque quantum videtur annitentibus Neapolitanis Gallicæ stirpis Regibus.

SUPPLEMENTVM L V.

Ad pag. cxi.

Ordinis vox olim apud Romanos fuit valde communis. Et vero Ordo senatorius, Ordo equestris, Ordo plebejus, nomina sunt jam veteri Romæ cognita. Cicero quoque memorat l. X. *Familiar. epist. 9 ad Crassipedem Ordinem publicanorum.* Servius ad illud Virgilii

*deletios Ordine ab omni**Centum oratores augusta ad munia Regis**Ire jubet:*

illud ordine ab omni scribit esse, ex omni qualitate dignatum: quod apud Romanos in legatione mittenda hodieq; servatur. Alibi memoriuntur Ordo Sacerdotum, Ordo haruspicum, aliisque, κατ' ιζοχλι' tamen & nullo addito, Jurisconsultis Ordo audit Ordo decurionum: quapropter ubi de probatione per Ordinem instituenda agitur pene soli decuriones intelligendi videntur.

SUPPLEMENTVM L VI.

Ad pag. cxii.

Plinius epistola 60 l. X haud obscure indicat, jam tum, Trajano scilicet imperante, Philosophis fuisse concessam civilium munerum vacationem. Hanc autem deberi beneficio Vespasiani, discere est ex verbis Charisii in Dissertatione adductis. Forte verò Domitianus ut Rhetoribus ita